



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Ambrosius Episcopus 7. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

dem ipsis elargitur. Agit cum illis Deus ut Medicus cum infirmis desperatæ salutis, quibus omnia concedit. Sunt victimæ ad carnificinam saginatae. *Improbi ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostia ad poenam coronantur.* Minu:

3. Vertetur olim rerum facies. Iusti! nunc fletis, sed gaudebitis. Impii! gaudetis, sed gaudia vestra æternus luctus excipiet. *Vicibus disposita res est, nunc illi latantur nos afflicti amur: Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut cum ipsi lugere cœperint nos gaudeamus.* Tertull.

S. AMBROSIUS Episcopus

7. Decemb.

Vide Ministerium, quod accepisti in Domino ut illud impleas.

Paul. ad Coloss. cap. 4.

Ambrosii Infantis osculum apes ajunt in-
sedisse, verissimos ejus eloquentiæ va-
tes. Deprompsit sanè, cum libuit, ore suo
melos, & hoc ad eò ipsum Augustinum inel-
cavit, ut qui à Manichæis venenum hucusq;
hauserat, ex ore deinceps Ambrosii mel lege-
ret, Episcopum Mediolani prodigiosus præco
Infans proclamavit. Dicenti ad populum asta-
re bonum Angelum ipsi hæretici viderunt &
inviderunt. Inter hos multum illi negotii Ar-
riani, plus Imperatrix Justina, latrones, Magi-

que

que, plurimum dæmon malus fecit, sed incas-
sum omnes Majestatis Pontificiæ memor, ne-
que majestatem Imperatoriam exhorruit. Ita-
que Theodosium ob cædem Theffalonicen-
sem publicè reum non nisi post publica pœni-
tentis animi signa templo pedem permisit in-
ferre, illud Davidis exemplo se tuenti incla-
mans, secutus es errantem, sequere pœniten-
tem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante
pedes Episcopi jacere, nunquam ita extollen-
dum, nisi ita demisisset sese. Porro Ambro-
sius obsessos ab orco libertati, Infantem de-
mortuum vitæ reddidit, Divorum multorum
ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ
transtulit, ipsius verò calumniatores morte
subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cæ-
lesti voce excitus Honoratus Ep: sacro pane
refecit, morienti verò blandum arridere Chri-
stus visus est, arrisurus etiam nobis in morte,
si flentes in vita viderit. *Ex Paulino.*

M E D I T A T I O.

De vita S. Ambrosii.

S Ambrosius in Mediolanensi Ditione & in adja-
centibus provinciis pro Imperatore præfuit,
quo in munere religiosus Cæsari reddidit, quæ erant
Cæsaris, & quæ Dei, Deo. Tuis in negotiis ejus imi-
tare prudentiam. Placeas hominibus, modò non dis-
pliceas

pliceas Deo. Probitas debet cum mansuetudine & morum honestate conjungi, & hæc mansuetudo est quasi fundamentum Christianæ virtutis.

2. Nihil non egit, ut Mediolanensi Episcopatu non oneraretur, at Deo vocanti resistere non potuit. Ejus exemplo fuge honores, sed ne te præbeas contumacem, si te vocaverit Deus. Inspice imaginem Sancti hujus. Innititur Sacræ Scripturæ, ut doceat, Evangelii præceptis, non propriæ prudentiæ innitendum est. Manum auri admovet, ne vanos audiat sermones cæli intuetur, unde totus pendet.

3. Cùm hic sanctus propiùs abesset à morte. *Non ita* (inquit) *inter vos vixi ne pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* An auderes eadem de te dicere? An Deo probatur tuus vivendi modus? Quid tibi conscius es? Scrutare conscientiam tuam. *Incorruptus Iudex conscientia, cum adversus homines exurgit, clarâ voce clamat & accusat & ostendit, & ante oculos scribit magnitudinem peccatorum.* Chrysoft.

CONCEPTIO B. V. MAR.

8. Decembr.

Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus, corona stellarum duodecim.

Apoc. cap. 12.

Specu-